

Walahfridus Stroh Monacensis

De philosophis rhetoribusque antiquis inter se aemulantibus

[Stable URL: <http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3404>]

[Публикация работы:]

*Stroh W. 2011: De philosophis rhetoribusque antiquis inter se aemulantibus // Аристей:
Вестник классической филологии и античной истории. 4, 11-26.*



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ

ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGS- UND
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL
YAROSLAVL, RUSSLAND



РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ АНТИКОВЕДОВ
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION
“THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES”
YAROSLAVL BRANCH



ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY



Walahfridus Stroh (Monacensis)

DE PHILOSOPHIS RHETORIBUSQUE ANTIQUIS
INTER SE AEMULANTIBUS

Philosophia uerum quaerit, rhetorica ueri simile. Illa ambigua distinguit, naturam rerum explicat, uiam ad beate uiuendum ministrat. Haec, ut persuadeat, argumentis docet, periodis delectat, affectibus permouet. Quae tamen disciplinae in tanta propositorum diuersitate unum olim commune habebant quod utraque se aptissimam credebat qua iuuentus educaretur. Vnde plus secundos annos primum apud Graecos, deinde etiam apud Romanos magnum certamen extitit, utrum philosophiae an rhetoricae, cognitioni rerum an persuasiōni mentium, adolescentibus potius studendum esset¹. Grauis sane quaestio et quae nos nunc quoque tangat – nisi nos philosophiam et rhetoricam aequē in scholis contemneremus. De Germania mea loquor, nam Russia uestra est fortasse felicior.

De Isocrate et Platone riualibus

Quisnam illas igitur diuum haec ad proelia misit?

Sic fere Homerus olim initio Iliadis, item nos: *Quis erat auctor huius proelii? An Gorgiam rhetorem oratoremque², quem sophistis adnumerant, primum eam*

¹ De hoc certamine (ab Isocrate usque ad Ciceronem) olim fusius egit ab Arnim (1898), qui inter philosophos, rhetores, sophistas subtilius fortasse quam utilius distinguit; breuiter Kasulke (2005) 20–48 (49 sqq.: de sophistica secunda q.d.), cui uestigia Arnimiana nimium prementi multis locis non adsentior. Nuperrime ipse quid sentirem dixi (Stroh 2011). Multa utilia habent Karadimas (1996) et Reinhardt / Winterbottom (2006) – quorum libros in catalogo scriptorum inuenies.

² In his uerbis adhibendis Romanos, non Graecos sequor: *orator* sit qui dicit, *rhetor* qui docet.

litem suscitauisse dicamus, cum contra philosophos quosdam neque esse quicquam nec cognosci nec dici posse audacissime comprobabat³. Per iocum, credite mihi, hoc fecit nec serio philosophiam oppugnauit⁴. Maior auctoritas tribuenda uidetur Platoni, qui Socratem suum philosophiae moralis patrem contra Gorgiam illum eiusque asseclas disputantem facit. Ibi enim primum ei qui *in philosophia* sunt eis opponuntur, qui *rhetoricam* colentes res publicas tractant⁵. At si temporum seriem diligentius excutimus, Isocratem, qui Gorgiae discipulus erat, priorem fuisse ueri simile est⁶, qui institutionem suam oratoriam a scholis quorundam philosophorum aperte segregauit. Iam enim in ea oratione iuuensi quam *Contra sophistas* inscripsit (cui multis annis post *De antidosi* oratio amplior secuta est) sese abhorrere dicit ab inutili cauillatione eorum doctorum, qui certam stabilemque ueritatem quaerant, quod homini contingere non possit, et discipulis uirtutem atque adeo felicitatem uitae promittant⁷. Quo loco uix dubium est quin ad Socraticos quosdam aut ipsum Platonem spectauerit. Ceterum philosophiam non omnino abiecit. Nam et ipse suam disciplinam *philosophiae* nomine, magis modeste puto quam gloriose, appellauit; et esse eam tam bene sentiendi quam bene dicendi scientiam dixit⁸. Quin etiam putauit prodesse eam non solum ad linguas acuendas, sed etiam ad mores corrigendos (etsi uirtus ipsa disci non posset)⁹. Magnum hercle promissum! Quis igitur miretur optimum quemque ad Isocratis scholam confluxisse¹⁰, ut a tali magistro cum ad eloquentiam tum fortasse ad honestatem institueretur.

Neque haec omnia displicere poterant Platoni¹¹. Qui tamen fundamenta eruditionis non tam in arte dicendi quam in seuerioribus disciplinis nempe geometriae arithmeticae dialecticae posuit. Quod maxime e libris quos *De re publica* scrip-

³ Hermann Diels / Walther Kranz (edd.), *Die Fragmente der Vorsokratiker*, uol. 2, Stuttgart 1952, nr. 82 B 1–3 (p. 279–281).

⁴ Cf. Heinrich Gomperz: *Sophistik und Rhetorik. Das Bildungsideal des EU LEGEIN in seinem Verhältnis zur Philosophie des 5. Jahrhunderts*, Leipzig / Berlin 1912 (it. 1965), 1–35.

⁵ Plat. Gorg. 500 C.: *Quaerimus enim [...] quomodo sit iuuendum, utrum eo more ad quem tu me prouocas, [...] ut ad populum dicam, rhetoricam exerceam inque re publica ita uerser ut uos uersamini [...], an hoc genere uitae quod est in philosophia positum [...]*.

⁶ Sic certe nunc plurimi iudicant; cf. praesertim Christoph Eucken: *Isokrates: Seine Positionen in der Auseinandersetzung mit den zeitgenössischen Philosophen*, Berlin/New York 1983, 36 sqq.

⁷ Or. 13, 1–8.

⁸ De qua re optime Wolf Steidle: „Redekunst und Bildung bei Isokrates“, *Hermes* 80, 1952, 257–296 (nunc in: W. Steidle, *Ausgewählte Aufsätze*, Amsterdam 1987, 65–104), imprimis 272 sqq. Cf. Stroh (2009) 129–137.

⁹ Or. 3, 21; 15, 275–280.

¹⁰ Cf. Cic. de or. 2, 94: [...] *Isocrates, cuius e ludo tamquam ex equo Troiano meri principes exierunt.*

¹¹ De omni Platone quid uiri docti scripserint, nunc copiose docet Erler (2007).

sit cognoscitur¹². In *Gorgia*¹³ autem, in quo Socratem inducit, minus in Isocratem inuehitur tum riualem suum – nam eodem fere tempore Platon ipse Academiam suam condidit – quam in oratores sui et anteacti temporis omnemque reprehendit artem rhetoricae qualis tum docebatur. Quam artem esse omnino negat, primum quod rationem reddere eorum quae agat non queat, deinde quod iucundum pro bono atque utili quaerat: aduletur hominibus, non prospicit¹⁴. Quod Platoni grauissimum uitium uidebatur. Nec quisquam umquam acerbius illo rhetoricae uituperauit!

Multis autem annis post autem sententiam suam si non mutauit at paululum correxit aut suppleuit. In *Phaedro*¹⁵ enim fieri posse ut rhetorica ars sit concedit, dummodo quodam philosophiae siue dialecticae auxilio instruatur¹⁶. Nam etiam ei qui oratorie fallere uelit ueritatis scientiam necessariam esse contendit, quae sine dialectica contingere non possit, deinde audientium animos commoueri posse negat nisi ab eo qui omne genus tam animorum quam orationum perspectum et quasi in partes diuisum habeat. Quae proposita magna Aristoteles Platonis discipulus postea in *Rhetorica* sua aliquatenus persecutus est, ubi et artem esse rhetoricae et utilem, modo ne quis abutatur, strenue defendit¹⁷ omnemque fere disciplinam oratoriam suo more i.e. uia ac ratione tribus libris accuratissime explicat. Quae studia a philosophiae seueritate paulum discrepantia sic trimetro Euripideo leuiter mutato iocose excusabat: *Turpe est tacere sinere et Isocratem loqui*¹⁸.

De philosophorum et rhetorum scholis quae inde ab Aristotele fuerunt

Eiusne igitur in disciplina siue secta, quae postea Peripati nomen accepit, iam quasi in unum confluxerant illi duo riuali philosophiae et rhetoricae, cum summum uideamus philosophum utriusque arti studere? Nolite id credere. Nam rhetorica, ut iam Isocrates uidit, non tam in doctrina et praeceptis quam in usu atque exercitatione constat¹⁹. Nec quisquam putet se in foro ut oratorem excellere posse, si tantum Aristotelis aut rhetoris alicuius pracepta fideliter edidicerit. Aristoteles autem quique

¹² Vide Plat. rep. 7, 521 C – 541 B.

¹³ Cf. nunc Erler (2007) 138–140; 596–598.

¹⁴ Plat. Gorg. 462 B – 466 A.

¹⁵ Cf. nunc Erler (2007) 215–223, 628–633 et Rapp (2002) 218–223.

¹⁶ Plat. Phaedr. 259 E sqq.; 270 B sqq. Multi inter *Gorgiam* Platonis et *Phaedrum* parum distinguunt.

¹⁷ Aristot. rhet. 1, 1 (1354 A 1 sqq., 1355 A 21 sqq.). De ratione quae inter Platonis et Aristotelis de rhetorica sententias intercederet post alios optime egerunt Antje Hellwig: *Untersuchungen zur Theorie der Rhetorik bei Platon und Aristoteles*, Göttingen 1973 et Christof Rapp (2002).

¹⁸ Philodemus II 50 Sudh.; Cic. de or. 3, 141; cf. Rapp (2002) 224 sq.

¹⁹ Or. 13, 16 sq.

ei successerunt, inter quos praecipue Theophrastus²⁰ habendus est, non nihil sane operae studiis rhetoriciis dederunt²¹; nec tamen discipulos suos exercitationibus siue declamationibus ad ueram eloquentiam forensem erudierunt. Nam quod Aristoteles instituit de omnibus rebus in utramque partem disserere²², est is quidem mos tam ad ueri simile inueniendum quam ad bene dicendum utilissimus (quod Cicero non semel dixit), sed ad oratorem perficiendum certe non sufficit. Contra ei qui post Isocratem fuerunt rhetores non dubito quin admodum paucis paeceptis²³ multum tamen exercitationis adiecerint. Sed eorum nomina non tenemus uno Anaximene excepto, cuius quae extat *Ars rhetorica* fuit illa quidem ualde utilis oratoribus, a subtilitate Aristotelis tamen non nihil remota²⁴. Quibus rebus bene perspectis Ioannes ab Arnim, qui plus quam centum abhinc annos primus (ac paene ultimus) de philosophia et rhetorica inter se aemulantibus acute scripsit, tum Platonem eiusque rationem in scholis ubique paeualuisse, rhetores quasi in obscuero iacuisse adseuerauit. „Neque umquam in hominum memoria, ait, philosophia in educatione adulescentiae tam sine riuali obtenuit principatum“²⁵.

Sed hoc si uerum esset, si philosophi tam superiores fuissent, cur tum quoque non paucos eorum studiose contra rhetores scribebant deque dominatu in educatione rixabantur. Nam et Alexinus philosophus Megaricus in libro, cui *De educatione* titulus erat, detrectauit rhetoribus qui non in ueritate, sed in coniecturis uersarentur²⁶, et Nausiphanes Epicuri magister philosophiam naturalem satis ualere ad eloquentiam

²⁰ William W. Fortenbaugh et al. (ed.), *Theophrastus of Eresus: Sources for his life, writings, thought, and influence*, Bd. 2, Leiden et al. 1992. Nr. 666–713.

²¹ Notum est hoc Quintiliani inst. 3,1,15: *Theophrastus [...] de rhetorice diligenter scripsit, atque hinc uel studiosius philosophi quam rhetores praecipue Stoicorum ac Peripateticorum principes* (dicit autem de temporibus quae ante Hermagoram fuerunt). De Peripateticis plurima inuenies apud Flashar (2004).

²² Cic. de or. 3, 80 (cf. 3,107); fin. 5,10; Tusc. 2, 9; cf. ipsum Aristotelem, rhet. 1355 A 29 sqq.

²³ Testatur id ipsum Quintilianus (u. adn. 21).

²⁴ Quo tamen usus esse uidetur, cf. Stroh (2009) 185 sq.

²⁵ ab Arnim (1898) 80 sq., quem plurimi secuti sunt. Quae ab Arnim olim magis ingeniose iudicauerat quam acute probauerat, nuper titulorum (siue inscriptionum) testimonii confirmare studuit Petrus Scholz disputatione grauisima: „Zur Bedeutung von Rede und Rhetorik in der hellenistischen Paideia und Politik“, in: Christoff Neumeister / Wulf Raeck (edd.): *Rede und Redner: Bewertung und Darstellung in den antiken Kulturen*, Bibliopolis, Möhne-see 2000, 95–118. Qui tamen meo iudicio non plus probare potuit quam illo tempore multos rhetoriciis studiis etiam philosophica addidisse. Cf. Stroh (2011) 41 sq. Aperte contra Ioannem ab Arnim sensit uir harum rerum doctissimus Henri-Irénée Marrou: *Histoire de l'éducation dans l'antiquité* (1948), Paris 1955, 269: „Victus est Plato [...]; nam Isocrates [...] praceptor exstitit primum Graeciae, deinde omnis orbis terrarum“.

²⁶ Philodemus I 80 Sudh.; sensus tamen obscuriusculus, cf. Klaus Döring, in: Hellmut Flashar (ed.): *Die Philosophie der Antike*, vol. 2/1: *Sophistik – Sokrates – Sokratik – Mathematik – Medizin*, Basel 1998, 219 sq.

affirmauit²⁷. Ipse uero Epicurus rhetoricam ut omnes fere bonas artes despexit; solum epidicticam partem eius uoluit artem esse, eam autem inutilem oratoribus dixit²⁸. Contra Stoici rhetorum discipulos eo ad se conuertere conabantur, quod unum sapientem, Stoicum scilicet, recte dicere posse et rhetoricam unam esse e uirtutibus praedicabant²⁹. E Peripateticis autem et Phaeniam Eresium *Aduersus sophistas*³⁰ et Aristonem Ceum *Aduersus rhetores*³¹ scripsisse accepimus. Quae omnia indicare uidentur tum quoque rhetorum scholas floruisse et a philosophis tamquam riuales impugnatas fuisse.

Idque eo magis ut credamus adducimur, quod philosophos quidem nonnullos scripsisse contra rhetores uidemus, rhetores uero nusquam respondisse uel defendisse sese traduntur. Dicunt sane nunc multi uiri docti – cum uiros dico, mulieres non excludo – de rixa illa que inter philosophiam rhetoricamque perpetua fuerit, tacent id quod tamen uerum est, nempe in eo certamine philosophiam eloquentissimam, rhetoricam diu quasi mutam fuisse. Nam primus qui, post Isocratem uidelicet, contra philosophos dicere ausus est, is fuit – quis credit? – Molo rhetor Rhodius³², Ciceronis magister, fere initio primi saeculi (nisi nos testimoniorum paucitas fallit). Nonne hoc uobis quoque graue indicium uidetur principatus cuiusdam rhetorum in educanda iuuentute? Nam ut exemplum e nostris rebus sumam: An quisquam eorum qui hac aetate scientiam Anglici sermonis ut utilem profitentur, impugnare nos dignatur, qui Latinis Graecisue litteris imbuimus iuuentutem? Nemo. Ad se enim ut commodissimum magistrum uel sua sponte discipulos confluere uidet: Nos, nos, inquam, pro bonis artibus pugnare debemus. Item rhetorum scholas tum puto refertas fuisse iis qui de earum utilitate non dubitarent; philosophorum erat aduersus rhetores suae disciplinae non tam aperta commoda laudare et augere.

Sed utcumque haec fuerunt, certe inde ab Aristotele, si ipsam institutionem oratoriam spectamus, extitit illud, quod Cicero iam a Socrate coepisse uoluit, *discidium quasi linguae atque cordis, ut alii nos sapere, alii dicere docerent*³³. Vbi

²⁷ Cf. Kurt von Fritz, „Nausiphanes“, *RE* XVI 2 (1935) 2021–2027, praesertim 2024–2026.

²⁸ Sic certe Philodemus Epicureus scholarchae sententiam explicat; cf. nunc praecipue Clive Chandler: *Philodemus, On rhetoric' books 1 and 2: Translation and exegetical essays*, New York / London 2006.

²⁹ Stoicorum, praesertim Diogenis Babylonii, studia rhetorica nemo adhuc diligentius explicauit; partem solum tractauit Karl Barwick, *Probleme der stoischen Sprachlehre und Rhetorik*, Berlin 1957. Cf. tamen ab Arnim (1898) 77–80 et Stroh (2011) 37 sq. (ubi libri recentiores indicantur).

³⁰ Cf. Fritz Wehrli et al., in: Flashar (?2004) 588–590.

³¹ Cf. Fritz Wehrli et al., in: Flashar (?2004) 616–618.

³² Scripsit *In philosophos*: Schol. Aristoph. nub. 144; Diog. Laert. 3, 34.

³³ Cic. de or. 3, 60.

tamen unum excipiamus necesse est, qui in rhetoricae historiis commemorari uix solet: Demetrium Phalereum, uirum singularem³⁴. Nam cum Theophrasti auditor fuisse et ipse nonnulla de philosophia scripsisset, Atheniensium ciuitatem decem annos feliciter gubernauit, orationum autem suarum suauitate et aequalium et posteriorum admiratione dignissimus uisus est³⁵. (Nec quisquam ante Ciceronem tam prope accessit ad illum regem philosophum quem Plato sibi finxerat³⁶.) Quin etiam ipse rhetoricae docebat repertorque dicitur fuisse eius generis declamationum, quod postea ubique in scholis ut commodissimum colebatur, diuisum in controuersias et suasorias³⁷. Quam dolemus huius tanti uiri tam pauca restare monumentalia!

De Critolao Peripatetico rhetoricae inimico

Secundo saeculo a.Chr., aiunt, post longum philosophiae regnum denuo acerrima pugna exarsit inter philosophos rhetoresque³⁸. Iam scitis, quid respondendum putem. Non uerissima potuit esse ea pugna, in qua solum philosophi armis strepabant inimicis quiescentibus. Propugnator autem eorum erat Critolaus Peripateticus³⁹, qui contra Aristotelis scholarchae sui auctoritatem quasi Platone duce denuo nullam esse rhetoricae artem affirmabat idque copiose comprobabat, adiutus ex parte a Diogene Babylonio Stoico⁴⁰, postea a Charmada⁴¹ Clitomachoque Academicis acutissimis. Quorum scripta non tenemus, argumenta tamen e Cicerone, Philodemo, Quintiliano, Sexto Empirico⁴² satis nota habemus⁴³. Quorum grauissimum erat quod rhetoricae ut non inutilem solum, sed etiam perniciuos rebus publicis accusabant eamque ob

³⁴ Cf. Fritz Wehrli et al. in: Flashar (2004) 594–599.

³⁵ Cic. Brut. 37 f.; off. 1,3 et saepius; cf. Stroh (2009) 250 (contra Eduardum Norden).

³⁶ Cf. Cic. leg. 3,14.

³⁷ Quint. inst. 2,4,41 f. (dubitante tamen Quintiliano ipso).

³⁸ De qua post ab Arnim (1898) aliasque nuper egerunt Brittain (2001), Kasulke (2005), Liebersohn (2010).

³⁹ Cf. Fritz Wehrli (ed.), „Kritolaos und seine Schüler“, in: *Die Schule des Aristoteles*, vol. 10, Basel 1969, 45–91, ibi fr. 25–39 (cum commentario); cf. etiam Wehrli et al. in: Flashar (2004), 627 sq., 663.

⁴⁰ Ludouicus Radermacher olim uoluerat demonstrare Critolaum tam rhetores quam Stoicos, imprimis Diogenem, impugnuisse, quod ei quoque rhetoricae ut artem agnoscerent („Crito-laus und die Rhetorik“, in: Siegfried Sudhaus [ed.], *Philodemi uolumina rhetorica. Supplementum*, Leipzig 1885, p. IX–XXVI). Quam opinionem paucissimi secuti sunt (cf. Reinhardt / Winterbottom [2006] 304 sq.); nuper tamen eam uehementer defendit Liebersohn qui quasi duo genera disputationum dinosci posse statuit, unam inter philosophos et rhetores, alteram inter philosophos ipsos, quarum illam exteriorem, hanc interiorem disputationem („external / internal debate“) uocat, cf. praesertim 54 sq. Aduersatur tamen Stroh (2011) 51 sq.

⁴¹ De quo sagacissime egit Brittain (2001) 312–328.

⁴² De his testibus cf. Liebersohn (2010) 17–23; Stroh (2011) 47–51.

⁴³ De quibus nimis acute nunc agit Liebersohn (2010) 58–209; minus acute Stroh (2011) 51–56.

hanc causam e Cretensium Lacedaemoniorumque ciuitatibus optimis expulsam esse dicebant. Nam quid prodesse rei publicae, si quis modo pro uerbis legis, modo contra uerba pro sententia dicere didicisset? Cetera erant paulo sagaciora. Negabant enim eam esse artem quae etiam falsis assentiretur, quae non haberet definitam materiam aut certum finem propositum. Ceterum fuisse ante rhetoricae inuentores multos oratores bonos et postea quoque nonnullos sine ulla artis institutione ad aliquam famam eloquentiae euasisse dicebant.

Quis neget in hac argumentatione non nihil ueri fuisse? Sed mirum est ea potissimum aetate, dico saeculo secundo medio, tanto studio philosophos nouum impetum fecisse in rhetorum disciplinam. Qua de causa? Ioannes ab Arnim quique eum secuti sunt suspicabantur eam aemulationem inde subito acriorem extitisse quod tum Graeci magistri ad Romanos respicere coepissent, unde sibi quisque discipulos quam plurimos captare uoluissent⁴⁴. Sed id nec per se satis probabile est – cur enim illi magistri Romanos adulescentes magis curarent quam suos? – nec testimoniis comprobatur. Alia causa grauior uidetur. Eo tempore Hermagoras Temnites quidam ediderat *Artes rhetoricas* subtiliter elaboratas, in quibus singulis statibus siue constitutionibus causarum iudicialium in plurimas partes diuisis amplissima copia locorum i.e. argumentorum assignata erat⁴⁵. Opus sane erat et utilissimum oratoribus⁴⁶ et paene philosophorum diligentia et acumine institutum⁴⁷. Iam non facile erat philosophis contemnere rhetoricam ut quae nil artis simile haberet. Quo magis eam impugnabant⁴⁸.

De Romanorum et Ciceronis studiis rhetoriciis

Quid tamen Romani, simulac litteras Graecas cognoscere et discere coeperunt, de philosophis rhetoribusque sentiebant? Ac primum eos parum distinctos habuisse

⁴⁴ ab Arnim (1898) 88 sqq.; cf. e. g. Kroll (1940) 1083 f., 1086; Kasulke (2005) 39 sq.; Liebersohn (2010) 26 sq. Minus assentitur tamen Brittain (2001) 302 sq.

⁴⁵ Operis nobis perdit fragmenta post alios diligentissime collegit et explicavit Dieter Matthes: „Hermagoras von Temnos 1904–1955”, *Lustrum* 1958/3, Göttingen 1959, 58–278. Breuissime nunc Beth S. Bennett, „Hermagoras of Temnos“, in: Michelle Ballif / Michael G. Moran (ed.), *Classical rhetorics and rhetoricians*, Westport 2005, 187–193.

⁴⁶ Cf. Cic. Brut. 263; 271; Stroh (2009) 264 sq.; Stroh (2011) 60 sq.

⁴⁷ Quintilianus (inst. 3, 1, 16) nouam propriamque uiam rhetoricae Hermagoram instituisse testatur: Nemo e rhetoribus antea aliquid quod Aristotelis operi par esset confecerat.

⁴⁸ Multi (ab Arnim [1898] 92 et alii) id in Hermagorae artibus philosophis displicuisse ut molestissimum putant quod Hermagoras *theses* i. e. quaestiones uniuersas rhetoribus adscripsit, quasi eripuerit philosophis, credere uix possum. Nam in institutione oratoria Hermagorae illarum *thesum* pars erat minima, ut Cicero (de or. 2, 78 et alibi) docet; regnabant, ut par erat, *hypotheses*. Cf. Stroh (2011) 58–60.

uidentur. Nam anno 161 a.Chr. utrique simul senatus consulto⁴⁹ ex urbe expulsi sunt⁵⁰. Exstiterant tum igitur Romae et qui philosophiam et qui rhetoricae docerent. Sed expulsionis illius uis neque in longum tempus ualere nec priuatae institutioni (qualem in Aemilii Paulli domo fuisse nouimus⁵¹) obesse potuit. Vt Tiberius Gracchus semper secum habuisse et Blossium Stoicum et Diophanem rhetorem traditur⁵². Ciceronis autem aetate fere omnes nobiliores qui in re publica uersabantur praecepsis rhetorum a Graecis doctoribus instructi erant⁵³, nonnulli etiam philosophiae tantopere studuerunt, ut se aut Academicos aut Stoicos aut etiam Epicureos profiterentur. Cicero ipse autem, ut testatur, et a philosophis sapere et a rhetoribus dicere didicit – Graece scilicet (nam declamationes Latinae serius inductae sunt)⁵⁴. Quem autem praecipuum magistrum suum dicit, Philo philosophus Academicus tam amicus arti oratoriae uidetur fuisse, ut dies institutionis in binas partes diduceret, alteram philosophicis, alteram rhetoricae scholis attributam⁵⁵. Quin etiam causas definitas, quas *hypotheses* vocabant, quae antea semper propriae rhetorum fuerant, ad suam institutionem admittebat⁵⁶, ut paene perfectus rhetor esset. Hunc igitur Cicero secutus est, qui semper aliquo modo et orator et philosophus esse studuit, nonnulla etiam de rhetorica scripsit.

⁴⁹ Quantis uerborum ambagibus neque ulla ratione addita! Legite ipsa uerba Suet. gramm. 25,1: [...] *quod uerba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius praetor animaduerteret curaretque uti ei e re publica fideque sua uideretur uti Romae ne essent*. Cf. Suerbaum (2002) 531; 550. Qui cur eosdem philosophos et rhetores fuisse suspicetur (550 „wohl in Personalunion“), non video.

⁵⁰ Cato, cui Graecae litterae omnes diu suspectae erant (cf. libros apud Suerbaum [2002] 384 sq. laudatos), tam Isocratem rhetorem quam Socratem philosophum irridebat (Plut. Cat. mai. 23,1 sq.).

⁵¹ Plut. Aem. Paul. 6, 8 sq.

⁵² Plut. Tib. 8, 6; cf. Suerbaum (2002) 498.

⁵³ Id cognoscitur uel ex eis quae initio saeculi primi Crassus et Antonius in Ciceronis *De oratore* libris disputant: Cicero enim tempora diligenter distinguit, ne in anachronismos q. d. cadat.

⁵⁴ Rhetoricam Latinam, si Catonis Antonique libellos excipias (Suerbaum [2002] 409–411; 509 sq.), primum incohauisse puto Ciceronem in libris *De inuentione*, magis exornauisse quam perfecisse in libris *De oratore*; quem tunc denique Auctor ad Herennium q. d. secutus est (Stroh [2009] 360 sq.). Tamen diu Romani apud Graecos magistros Graece declamare, Latine non nisi priuatim inter amicos solebant (Cic. Brut. 310); anno 92 a.Chr. censores Plotium Gallum siue Latinos rhetores, qui exercitationes Latinas instituerant, edicto improbauerunt (Suet. gramm. 25, 1). Tandem inde ab a. 50 a.Chr. certius aliquid de Latinae declamationis institutione audimus (cf. Wilfried Stroh, „declamatio“, in: Bianca-Jeanette / Jens-Peter Schröder (ed.), *Studium declamatorium: Untersuchungen zu Schulübungen und Prunkreden von der Antike bis zur Neuzeit*, München / Leipzig 2003, 5–34, ibi 31–33).

⁵⁵ Cf. imprimis Cic. Tusc. 2, 9; plura apud Brittain (2001). Iniuria dubitat Barwick (1963) 80, cf. Stroh (2011) 61–63.

⁵⁶ Cic. de or. 3, 110; inepte hoc quidem loco Barwick (1963) 39.

Eum uirum multi nunc laudant, quod has artes diuersas feliciter coniunxerit, Ioannes ab Arnim autem, qui rem acutius perpendit, potius uituperauit, quod Philoni suo adsensus⁵⁷ rationem Isocrateam aut, ut ipse dicit, sophisticam renouauerit, Platonicam deseruerit. Quid igitur credamus? Ac primum quidem inter tempora iuuenilis et aduluae aetatis distinguendum est (quod Ioannes ille non fecit). Nam Cicero cum adulescens in Rhetoricis suis – e quibus duo libros nunc *De inuentione* inscriptos absoluit – omnia omnium rhetorum praecepta nouo more in unum cogere conaretur⁵⁸, philosophiae aut, ut ipse dicit, sapientiae primas partes detulit: eloquentiam enim ait sine sapientia ciuitatibus non prodesse, sed plerumque obesse⁵⁹. Quare pessime factum esse existimat quod olim sapientes, qui diu regnauissent (de Septem sapientibus illis uidelicet cogitat) a disertis quibusdam minime sapientibus de ciuitatum deiecti sint gubernaculis⁶⁰. Ergo Cicero quicumque sua aetate sapientiae uirtutique studeant hortatur, ut amplectantur eloquentiam, capessant rem publicam, peiores regnare prohibeant. (Quae sententia in ipsa rhetoricae commendatione tamen maxime Platonica est, cum Plato, quem Cicero semper quasi Homerum philosophorum coluit, si ciuitates aliquando adquiescere uellent, aut regnandum esse philosophis aut philosophandum regibus dixerit⁶¹.) Quam Cicero tum sibi quasi supremam legem in totam uitam statuisse uidetur eum in modum, ut interdum amicis diceret se oratorem uocari nolle, malle philosophum; nam philosophiam esse opus suum uerum, arte oratoria sese ut instrumento uti⁶².

Sed haec adulescens, inquam. Paulum aliter postea iudicauisse eum uidemus. Nam in libris *De oratore* scriptis de ciuitatum commodis parum cogitat, tantum de perfecto oratore quaerit, quem sine philosophia fieri posse negat. Oportere enim illum et in utramque partem disputare posse⁶³ et e philosophiae quasi thesauro haurire omnes illos de religione, de moribus, de legibus deque republica constituenda locos, quos oratorem in promptu habere necesse sit⁶⁴. Quare Crassus, qui in hoc dialogo primas partes agit, optimos magistros illos olim fuisse sophistas putat qui, ut postea Isocrates, et sapere et dicere docuerint seque philosophos nominarint. Socratem autem illud nomen commune eripuisse illis sibique uni arrogauisse, ut inde illud absurdum ac deplorabile *discidium quasi linguae atque cordis*, de quo

⁵⁷ ab Arnim (1898) 97–113.

⁵⁸ Cic. inu. 2, 4 sq.; cf. Stroh (2009) 358–361.

⁵⁹ Cic. inu. 1, 1.

⁶⁰ Cic. inu. 1, 4.

⁶¹ Plat. rep. 5, 473 C – E.

⁶² Plut. Cic. 33, 6; cf. Wilfried Stroh, *Cicero: Redner, Statsmann, Philosoph*, München 2008, 9 sqq., imprimis 12 sq.

⁶³ Cic. de or. 3, 71; 80; 107.

⁶⁴ Cic. de or. 1, 55 sqq.; 3, 121–125.

diximus, extiterit, ut alii sapienter sentiendi alii ornate dicendi magistri essent⁶⁵. Ergo ut Cicero olim sapientiae studiosos ad eloquentiam uocauit, sic nunc rhetoricae deditos ad philosophiam hortatur. Quod sane aliquantum abhorrire uidetur ab illo uitae proposito, de quo antea dixi. Nam hic certe Cicero eloquentiam ut opus suum tractat, philosophiam autem ut aliquis sophistes instrumenti loco habet⁶⁶. Atque hoc quidem recte Ioannes ab Arnim.

Qui tamen minime mihi audiendus uidetur, cum omnem hanc doctrinam non ipsi Ciceroni, sed Philoni magistro eius adscribit. Nam nec philosophi erat ita humiliare sapientiam ut quasi ancilla esset eloquentiae, neque hominis Academici, immo antistitis Academiae, tam morose iudicare de Socrate, quem et Plato et omnes qui nunc dicuntur sceptici unice uenerabantur⁶⁷. Quid quod ne Cicero ipse quidem tales sententias, tam audaces, ne dicam procaces, suo ore proprio proferre ausus est, sed personam Crassi ut philosophiae minus quam eloquentiae dediti sibi praetendit? Nec postea Cicero plane a Platone suo descivit. Nam et in prooemio primi libri *De re publica* scripti Platone duce sapientissimum quemque ad rem publicam capessendam hortatur⁶⁸, et in *Hortensio* argumentis plerisque e Platone sumptis oratori celeberrimo suadet, ut philosophiae studeat quae omni eloquentia potior menti humanae sit aptissima⁶⁹.

Attamen, si quidem libros *De oratore* unos spectamus, Cicero primus omnium quos quidem e scriptis nouerimus eis aduersari ausus est quae post Platonem philosophi Graeci rhetoribus obiecerant, non ille quidem ut rhetoramicam artem esse comprobaret – nam eam quaestionem minus curabat⁷⁰ – sed ut philosophos reprehenderet, qui cogitandi rationem a dicendi arte separauissent. Ecce rhetorica, quae tam diu rea fuit, subito accusatrix facta est! Nec tamen aut Cicero ipse aut aliis tollere illud *discidium quasi linguae atque cordis* potuit (de quo etiam in *Oratore*

⁶⁵ Cic. de or. 3, 56–61.

⁶⁶ Cf. Christoff Neumeister: *Grundsätze der forensischen Rhetorik gezeigt an Gerichtsreden Ciceros*, München 1964, 25 sq.: „Cicero philosophiam non, ut studium sapientiae, per se appetendam putat, sed eam persuasiōni quasi ancillam seruire uult. Quodsi ipse credit se discidium illud philosophiae et rhetoricae, cuius auctor Socrates fuerit, sustulisse et utramque disciplinam inter se coniunxisse, uehementer errat.“ Vera sunt haec, sed ad solum hunc unum dialogum pertinent, qui mihi uerissimam Ciceronis de philosophia sententiam aperire non uidetur. Legite libros de philosophia posteriores.

⁶⁷ Si mireris Ciceronem in his libris numquam aut semel (3, 110) Philonis mentionem facere, qui artes rhetoricas philosophicas adiunxit, cogita illum anno 92 a.Chr. n., quo Crassus Antoniusque inter se disputauisse dicuntur, nondum uenisce Romam, anno 55 autem, quo Cicero scripsit, iam mortuum fuisse.

⁶⁸ Cic. rep. 1, 1–12.

⁶⁹ Augustin. trin. 14,12 = Hortensius fr. 101 Straume-Zimmermann.

⁷⁰ Crassus hanc uerbi controversiam inutilem putat (ap. Cic. de or. 1, 47; cf. 1, 108 f.; 2, 30).

postea queritur⁷¹). Nam si quis dicat aetate Caesarea subsecuta quosdam fuisse quos tam oratores quam philosophos appellare possis⁷², dicit de personis aliquid, non de disciplinis, quae seiunctae restiterunt. Nec quisquam Philonis philosophiae simul et rhetoricae doctoris philosophi et rhetorici exemplum renouare dignatus est.

De temporibus Caesareis

Occiso autem Cicerone, extincta libera re publica eloquentiae olim latissimus campus in angustius contractus est, quae tamen et in rhetorum scholis (e Seneca maiore satis notis) et in iudiciis tam publicis quam priuatis etiam tum uigebat. Accessit quod color quidam oratorius tum e scholis quasi ad omne genus litterarum exundabat. Comparete, si uultis, Lucanum cum Vergilio, Senecam cum Cicerone! Nec tamen mirandum est tum plures fuisse qui, si optio daretur, philosophiae quam rhetoricae operam nauare uellent, etiam ab illa ad hanc quasi transfugerent. Vt Vergilius adulescens extrema et iam quasi animam agente re publica rhetoribus, quibus adhaeserat, ualedixit seque in philosophorum ordinem transscripsit⁷³:

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae [...]

*Nos ad beatos uela mittimus portus
magni petentes docta dicta Sironis
uitamque ab omni uindicauimus cura.*

Quintilianus autem rhetorum omnium optimus conqueritur de eis qui, dum se labori eloquentiae impares sentiant, in philosophorum fugiant auditoria⁷⁴, cum tamen notum sit plurimos eorum philosophiae nomine tantum ad uitia sua occultanda abuti⁷⁵. (Videtis quanto acrius tunc conualecente philosophia rhetores in eam inuecti sint.) Atque is, Quintilianum dico, longe accuratius quam quisquam antea, quem nouerimus, omnia argumenta quae philosophi contra rhetores inuenerunt refutare conatur⁷⁶.

⁷¹ Orator 17. Errauit igitur Gulielmus Kroll (1940) 1089 (cf. eius comm. ad Cic. Or., Berolini 1913 ad locum!), qui inde a Philone, Antiocho, Cicerone rhetoricae philosophiaeae discidiuim sepultum credidit. Similiter iudicauerat iam ab Arnim (1898) 112 sq., nunc praesertim Kasulke (2005) 45–48.

⁷² Vt Maximus Tyrius, de quo cf. Johannes Hahn, *Der Philosoph und die Gesellschaft*, Stuttgart 1989, 92 sqq.

⁷³ Catal. 5: Num genuinum hoc sit carmen disputatur, quod nil refert ad nostram quaestionem.

⁷⁴ Quint. inst. 12, 3, 12.

⁷⁵ Inst. 1, pr. 15, cf. 12, 2, 9. Accusat etiam philosophos quod per ignauiam officia ciuilia deserant (inst. 12, 2, 6 sq).

⁷⁶ Inst. 2, 15–17; cf. nunc commentarium copiosissimum Reinhardt / Winterbottom 2006 et Stroh (2011) 79–84.

Ac fere eodem tempore Dio Chrysostomus Graecus e rhetore factus est philosophus⁷⁷; paulo post etiam Lucianus simile quid de se narrat⁷⁸; denique Marcus Aurelius imperator ipse gratias agit Rustico cuidam, quod se a rhetorica ad Epictetae Stoici libros duxerit⁷⁹. Seuerissime autem et argutissime Sextus Empiricus philosophus Critolai aliorumque argumentis usus rhetoricam accusat⁸⁰. Quam defendit saeculo p. Chr.n. secundo Aristides rhetor Graecus nobilissimus, qui primus omnium – quis credat? – Platonis argumenta in *Gorgia* prolata singula reprehendere et confutare ausus est⁸¹. Sescentos fere annos nemo id operae pretium aut necessarium duxerat. Tanta fuerat rhetorum siue inertia siue securitas. Nec tamen philosophi eloquentiam Aristidis disertissimi neglegebant. Nam Porphyrius Platonicus uno saeculo post septem libros contra illum rhetorem scripsit⁸². Vnde uidemus hoc certamen philosophorum rhetorumque, etsi tunc paene superiores erant philosophi, minime extinctum fuisse.

De aetate Christiana

Quod durauit quodammodo etiam usque ad eam aetatem qua Christiana religio paene omnes res nouauit. Nam ut olim Dio Chrysostomus e rhetore philosophus, ita tum multi e rhetoribus profanis contionatores sacri fiebant: Lactantius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Augustinus. Quorum tamen conuersiones non tantae erant, ut ei artem oratorium, quam simplicitati Sacrae scripturae dissimilem sentiebant, omnino spernerent, sed magis ut ea ad ueritatem Christianam illustrandam uterentur. Ut Lactantius, qui nunc quoque haud immerito *Cicero Christianus* dicitur, aperte fatetur sibi multum profuisse illam declamationum siue litium fictarum exercitationem ut maiore ui atque copia defendere possit causam Christianam⁸³; et Augustinus, cuius ingenium fere nemo illis saeculis adaequauit, in quarto libro *De doctrina Christiana*

⁷⁷ Credulus est Karadimas (1996), 9–12 et ego; contra disputat Kasulke (2005) 80–106; cf. Stroh (2009) 459–463, 562 (ubi libri indicantur).

⁷⁸ Iterum credit Karadimas (1996) 18–25; dissentit Kasulke (2005) 107–132.

⁷⁹ Ad se ipsum 1,7; cf. „Epist. ad Caesarem 4,13“ (p. 68 sq. v.d. Hout). De ea Herwig Görögmanns, „Der Bekehrungsbrief Marc Aurels“, *Rheinisches Museum für Philologie* 134 (1991), 96–109, etiam Karadimas (1996) 13–18; longe aliter Kasulke (2005), 188–382.

⁸⁰ Cf. Karadimas (1996) et Kasulke (2005), impr. 162–187, quorum opiniones (ut fere ubique) contrariae sunt. Desideratur commentarius; paucissima praebet Fritz Jürß: *Sextus Empiricus: Gegen die Wissenschaftler Buch 1–6* [...], Würzburg 2001, plura tamen Liebersohn (2010).

⁸¹ *Pro rhetorica* = or. 2. Dispositionem orationis explicant Kasulke (2005) 145–148 et David Sohlberg, „Aelius Aristides und Diogenes von Babylon“, *Museum Helveticum* 29, 1972, 177–200, ibi 256–277. Accuratissime de toto opere disputat Karadimas (1996).

⁸² Schmid, Wilhelm / Otto Stählin: *Geschichte der griechischen Litteratur*, 2. Teil, 2. Hälfte, München 1924, 705, adn. 3 et 4.

⁸³ Lact. inst. 1, 1, 10.

composito ueram artem rhetoricae Christianam elaborauit, quam ad Ciceronis leges dispositum, cum tamen exempla oratoria e Paulo apostolo sumeret.

Sic factum est ut Medio aevo quod dicitur rhetorica semper aliquatenus culta sit, etsi numquam ad dignitatem philosophiae quae a theologia uix distinguebatur escenderit. Pars erat illa et quasi fundamentum artium liberalium, omnium studiorum fastigium autem philosophia tenebat⁸⁴. Quam longe autem tum summi doctores ab eloquentia olim in scholis exculta, ne a philosophis quidem tota neglecta, afuerint, quiuis uidet qui uel unius Thomae Aquinatis summi theologi scripta tam exilia et ieiuna degustet. Denique una cum litteris renascentibus etiam rhetorica ad pristinum honorem euecta est. Scitis quam Petrarca nouae aetatis signifer Ciceronem suum amauerit, quam eloquentiae studuerit! Cuius admirator Laurentius Valla philosophiam uelut communem militem aut tribunum *sub imperatrice oratione* i.e. rhetorica mereri uoluit⁸⁵. Apud nos Germanos autem Philippus Melanchthon inter omnes maxime scriptis orationibus exemplis rhetoricae cantauit encomium⁸⁶. (Is tamen sine detimento philosophiae, quam aequa aestimabat.) Vnde usque ad saeculum duodeuicesimum⁸⁷ rhetorica in scholis, tam in euangelicis quam in catholicis, principem locum tenebat; quare philologiae classicae professores quos nunc dicimus tunc eloquentiae professores uocabantur.

Tempora recentia⁸⁸ autem non nihil damni rhetoricae attulerunt, si quidem ad publicas scholas attendimus. Nam in Germania quidem nunc certe paucissimi magistri huic arti operam dare solent, nedum scholares suos declamationibus exerceant. Cuius mutationis causae admodum in obscuro uidentur. Nam alii id factum credunt quod Latina institutio defecerit, alii quod magnae auctoritatis philosophi ut Kantius rhetoricae despexerint, alii quod praesertim in Germania condicione rerum publicarum libertas siue licentia oratoribus necessaria diu extincta iacuerit. De quo longum est disputare. (Quantum autem nunc quoque extra scholarum muros in uita publica eloquentia possit, etiam recentibus exemplis uidemus. Quam saepe eheu pessimi homines oratores tamen boni exstiterunt, ut noster Adolphus Hitler, quam raro saeui tyranni oratores mali, ut uester Iosephus Stalin!) Nec tamen philosophia rhetoricae uetus aemula ex huius damno ipsa creuit. Nam nunc in scholis etiam

⁸⁴ Cf. Hanna-Barbara Gerl, „Rhetorik und Philosophie im Mittelalter“, in: Schanze / Kopperschmidt (1989) 99–119.

⁸⁵ Sic citatur ab Ernesto Grassi, in: Schanze / Kopperschmidt (1989) 166.

⁸⁶ Cf. nunc Olaf Berwald, *Philipp Melanchthons Sicht der Rhetorik*, Wiesbaden 1994.

⁸⁷ Notissimus liber est Wilfried Barner, *Barockrhetorik: Untersuchungen zu ihren geschichtlichen Grundlagen*, Tübingen 1970 (it. 2002).

⁸⁸ Quantum etiam saeculo undeuicesimo valuerint studia rhetorica in scholis Germanicis, docet Dieter Breuer, „Schulrhetorik im 19. Jahrhundert“, in: Helmut Schanze (Hg.), *Rhetorik: Beiträge zu ihrer Geschichte in Deutschland vom 16.–20. Jahrhundert*, Frankfurt a. M. 1974, 145–179.

illa misere iacet, quod mihi aeque dolendum uidetur. Nam ut homines simus humanitatemque colamus, et animi uires exerceamus oportet et linguae.

DE PHILOSOPHIS RHETORIBUSQUE ANTIQUIS INTER SE AEMULANTIBUS
Walahfridus Stroh

Inde ab eo tempore, quo Isocrates rhetor primum philosophos quosdam, quod iuuentuti minus inutiles essent, uituperavit, Plato contra in Gorgia oratores derisit, rhetoricam artem esse negavit, usque ad ultimam antiquitatis aetatem durauit certamen quoddam inter harum disciplinarum magistros. Cuius historiam primus adumbrare conatus est Ioannes ab Arnim vir doctissimus (1898), qui tamen non ubique uerum uidit. Putauit enim in adolescentium educatione rationem Platonicam siue Aristotelicam usque ad saec. II a.Chr.n. ita primas egisse, ut omnibus persuasum esset scientia rerumque cognitione animos acuendos esse, rhetoricae institutioni minimus locus concederetur. Videmus autem post Isocratem et Platonem in hac aemulatione rhetores semper fere a philosophis impugnatos esse, ipsos contra quasi mutos restituisse. Quod certe non fecissent, nisi se superiores credidissent, quod de rhetoricae utilitate nemo dubitaret.

Cum uero Hermagoras Temnites Artibus suis eloquentiam ad ueram artem redegisset (quod antea unus Aristoteles fecerat) etiam ardentius philosophi Critolao duce rhetores uexabant. Quorum argumenta nobis e Cicerone Philodemo Quintiliano Sexto Empirico satis nota sunt. Quibus primus, quantum nouimus, Molo rhetor Rhodius respondit, quem Cicero secutus est. Nam is cum et Molonis et Philonis philosophi Academicici discipulus esset, utramque disciplinam, quam pridem unam atque eandem fuisse putabat, inter se coniungere studuit, id tamen more diuerso. Nam adulescens cum De inuentione scribebat, Platonem aliquatenus secutus eloquentiam sapientiae inferiorem esse uoluit, disertos quosdam rabulas ut discidi illius auctores accusauit. Sed postea in libris De oratore scriptis Socrati philosophiae paene parenti illam culpam adscripsit, qui dicendi sentiendique artes segregauisset, oratoresque monuit ut e philosophorum scholis quae sibi utilia uiderentur arriperent, non ut sapientiores essent, sed ut melius persuaderent.

Sic tamen rhetorica defendere sese coepit nec sane id facere desit aetate Caesarea, cum in rerum publicarum conuersione philosophia conualecente artis oratoriae dignitas minueretur. Inter quos rhetoricae patronos eminent Quintilianus et Aelius Aristides, qui primus Platonem refutare ausus est. Tunc etiam primum exstiterunt qui a rhetorica ad philosophiam desciscerent: quorum princeps fuise uidetur Vergilius adulescens, tum Dio Chrysostomus, Marcus Aurelius alii; etiam doctores ecclesiae multi antequam sacras contiones habuerunt, rhetoricam docebant. Sic medium aeum q.d. philosophiae siue theologiae primas detulit; pristinus autem honos rhetoricae tempore renascentium litterarum restitutus est. De recenti aetate, quod quidem ad scholas Germanicas attinet, potius querendum quam dicendum est: nam utraque ars iacet.

Verba principalia: philosophia et rhetorica, eloquentia, Isocrates, Plato, Cicero, Hermagoras Temnites, Molo Rhodius, Quintilianus, Aelius Aristides

О СОПЕРНИЧСТВЕ ФИЛОСОФОВ И РИТОРОВ
Вильфрид Штрод

Начиная с того времени, когда Исократ впервые стал укорять некоторых философов в том, что их учения совершенно бесполезны для юношества, а Платон, напротив, смеялся над ораторами в *Горгии*, утверждая, что риторика – это не наука, и вплоть до конца античной эпохи между учителями этих наук продолжалось своего рода состязание. Изобразить историю этого спора попытался один из ученейших людей своего времени Иоганн фон Арним в 1898 году, однако ему это не удалось в полной мере, потому что он полагал, будто в сфере образования молодежи платоновское или аристотелевское учения, убедив всех в том, что души следуют совершенствовать наукой и умозрением, получили такое преимущество, что риторическому воспитанию досталось лишь самое ничтожное место. Однако мы знаем, что в эпоху после Исократа и Платона риторы, почти все время подвергаясь нападкам философов, сами, тем не менее, как бы молча, продолжали существовать. Им бы это, конечно, не удалось, если бы они не считали себя выше философов, а также потому, что в ценности риторики никто в то время не сомневался.

Когда же Гермагор из Темны своими *Искусствами* (τέχναι ρήτορικαί) вновь вернул красноречию статус полинной науки (что ранее сделал еще Аристотель), философы под предводительством Критолая стали нападать на риторов еще более ожесточенно. Их аргументы нам довольно хорошо известны из сочинений Цицерона, Филодема, Квинтилиана и Секста Эмпирика. Первым, насколько мы знаем, кто ответил этим философам, был родосский ритор Молон, к которому присоединился и Цицерон. Ведь он, будучи учеником как Молона, так и философа-академика Филона и считая, что в древности они были единой наукой, стремился объединить риторику и философию, хотя и на особый манер. Когда Цицерон в юношестве писал *О нахождении <материала>*, следя в известной мере за Платоном, он утверждал, что красноречие стоит ниже философии, и в этом разделении наук он обвиняет неких красноречивых пустозвонов. Но позже в сочинении *Об ораторе* он объявляет виновником этого Сократа как отца философии, который, мол, разделил науку слова и науку мышления. Здесь же он учит ораторов, чтобы они брали из занятий философией то, что им покажется полезным не для того, чтобы стать мудрее, а для того, чтобы уметь лучше убеждать.

Так, наконец, риторика начала защищаться и уже не переставала этого делать в императорскую эпоху, поскольку во время государственных нестроений и буйного расцвета философии достоинство ораторского искусства постоянно находилось под угрозой. Среди наиболее выдающихся защитников риторики выделяются Квинтилиан и Элий Аристид, который первым осмелился возражать Платону. Тогда же впервые появляются и те, кто пришел к философии из риторики: первым среди них, кажется, был Вергилий Младший, затем Дион Хризостом, Марк Аврелий и другие; даже многие учителя Церкви, прежде чем прийти в Церковь, преподавали красноречие. Вследствие этого так называемое средневековье отдавало предпочтение философии или богословию, однако в эпоху Возрождения прежнее достоинство риторики было восстановлено

в своих правах. В наше время скорее следует стремиться к философии и красноречию, чем говорить о них, – по крайней мере, это относится к Германии – ведь обе науки лежат в руинах.

Ключевые слова: философия и риторика, красноречие, Исократ, Платон, Цицерон, Гермагор из Темны, Молох Розосский, Квинтилиан, Элий Аристид, Дион Хризостом

CATALOGUS SCRIPTORUM SAEPIUS LAUDATORUM

- Arnim, Hans von* 1898: Leben und Werke des Dion von Prusa. Mit einer Einleitung; Sophistik, Rhetorik, Philosophie in ihrem Kampf um die Jugendbildung. Berlin.
- Barwick, Karl* 1963: Das rednerische Bildungsideal Ciceros. Berlin.
- Brittain, Charles* 2001: Philo of Larissa: The last of the Academic sceptics. Oxford.
- Erler, Michael*: 2007: Platon, in: Hellmut Flashar (ed.): Die Philosophie der Antike, Bd. 2/2. Basel.
- Flashar, Hellmut* (ed.) 2004: Die Philosophie der Antike, uol. 3: Ältere Akademie – Aristoteles – Peripatos. Basel.
- Karadimas, Dimitrios* 1996: Sextus Empiricus against Aelius Aristides: The conflict between philosophy and rhetoric in the second century A.D. Lund.
- Kasulke, Christoph Tobias* 2005: Fronto, Marc Aurel und kein Konflikt zwischen Rhetorik und Philosophie im 2. Jh. n. Chr. München.
- Kroll, Wilhelm*: „Rhetorik“ (zuerst als Sonderdruck 1937), RE Suppl. VII 1039–1138.
- Liebersohn, Yosef Z.* 2010: The dispute concerning rhetoric in Hellenistic thought. Göttingen.
- Rapp, Christof* (Hg.) 2002: Aristoteles, Rhetorik, übersetzt und erläutert. Berlin (Darmstadt).
- Reinhardt, Tobias / Michael Winterbottom* (ed., comm.) 2006: Quintilian: Institutio Oratoria Book 2. Oxford.
- Schanze, Helmut / Josef Kopperschmidt* (Hg.) 1989: Rhetorik und Philosophie. München.
- Stroh, Wilfried*: Die Macht der Rede 2009 (?2010): Eine kleine Geschichte der Rhetorik im alten Griechenland und Rom. Berlin.
- Idem* 2011: „Philosophie und Rhetorik in der antiken Bildungsgeschichte“, in: Rolf Kussl (ed.), Antike im Dialog. Dialog Schule-Wissenschaft, Klassische Sprachen und Literaturen uol. 45, Speyer, 11–105.
- Suerbaum, Werner* (ed.) 2002: Handbuch der lateinischen Literatur der Antike, Bd. 1: Die archaische Literatur: Von den Anfängen bis Sullas Tod [...]. München.

